Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-1192015415-150066120-19

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-1192015415-150066120-19

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-1192015415-150066120-19

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-1192015415-150066120-19

1784.

1. Behrmann, Petrus Ludovicus: De termino nascendi naturali unico filiationis et paternitatis fundamento

2. Boehmer, Fridericus: De jure episcoporum inno-vandi fundationes ecclesiasticas

3. Boehmerus, Georgius Ludovicus: De confirmatione vel insinuatione pactorum dotalium judiciali secun-dum jus Brunsvico-Luneburgicum.

4. Brandis, Joann. Frider.: De vera ordinis succedendi ex majoratu notione ex pactis familiarum illustrium repetenda

5. Feil, Georgius Henricus: De jure accrescendi vendita hereditate penes venditorem remanente

6. Geislerus, Carolus Henricus, Ord. juridici ... decanus: summos in utroque jure honores sex candidatis // Johanni

Gotfrido Crumbiegel 2) Georgio Henrico Teil 3) Petro Ludovico Behrmann, 4) Danieli Schütte 5) Johanni Friderico Alberto Spiel 6) Hermanno Lorenz . . . edidit. Insunt observationes nonnullae de protocollis comitialibus.

7. Kruckenberg, Georgius Ludovicus: De litis denunciatione

8. Lingen, Casparus, a: De jure, quod liberis imperii civitatibus competit praestandi assessorem in camera Imperiali

9. Lorenz, Hermannus: Utrum Nov. 118 c. 4. cap 4. legi 27 de inoff. testam. abroget fratribusque utervinis turpi herede scripto legitima relinquenda est nec ne?

10 Meister, Georg Jac. Frid: De jure ergastula instituendi

ex jurisdictione criminali patrimoniali haud fluente praefatur simulque orationem aditialem ... indicit.

11a.b. Meister, Georg Jacob Friedrich: Abhandlung über den Einfluß, welchen der Stand des Verbrechers auf die Strafen u. das Verfahren & in Strafsachen hat. – Nebst einer Anzeige seiner Sommervorlesungen im Jahre 1784. 2 Exempl.

12 Moeckert, Joann Nicolaus: De indole praesumtionum juris, quo ad ordinem inqu. .. indicit.

13. Runde, Justus Fridericus: De Augustae Imperatricis jure primariarum precum.

14. Schnette, Daniel: De praescriptione litispendentiae tam generatim, tam in specie, quatenus in supremis imperii tribunalibus non currere potest

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-1192015415-150066120-19

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-1192015415-150066120-19

1784,3
3
P. 466

DISSERTATIO INAVGVRALIS
DE
# CONFIRMATIONE VEL INSINVATIONE PACTORVM DOTALIVM IVDICIALI SECVNDVM IVS BRVNSVICO LVNEBVRGICVM

QVAM
SVB AVSPICIIS REGIIS
AVCTORITATE INCLYTI ORDINIS IVRIDICI
PRAESIDE
GEORGIO LVDOVICO BOEHMERO D.
REGI A CONSILIIS IVSTITIAE INTIMIS ET IVRIS ANTECESSORE PRIMARIO
PRO
SVMMIS IN VTROQVE IVRE HONORIBVS CONSEQVENDIS
PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI SVBMITTIT

AVCTOR
IOANNES FRIDERICVS ALBERTVS SPIEL
ADVOCATVS

D. XXII. MAII MDCCLXXXIV.

GOETTINGAE
LITTERIS IOH. CHRIST. DIETERICH
ACAD. TYPOGR.

KOENIGL. UNIVERS. ZU HALLE
Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-1192015415-150066120-19

ILLVSTRISSIMO ATQVE EXCELLENTISSIMO

DOMINO

# DOMINO

# IOACHIMO BECHTOLDO

NOBILI BANNERII DOMINO ET COMITI

# DE BERNSDORFF

DYNASTAE IN GARTOW

RELIQVA

POTENTISSIMO MAGNAE BRITANNIAE REGI

BRVNSVICENSIVM DVCI ELECTORI

A CONSILIIS SANCTIORIBVS ET A CVBICVLIS

ET

ORDINIS AQVILAE ALBAE

REGNI POLONIAE EQVITI

## DOMINO ET PATRONO SVO

GRATIOSISSIMO

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-1192015415-150066120-19

HANC

DISSERTATIONEM INAVGVRALEM

VENERATIONIS ET OBSEQVII

CAVSA DICAT

ET INTER VOTA ARDENTISSIMA

PRO

TANTI PATRONI ET MECAENATIS

FELICITATE PERPETVA

SVSCEPTA

SE ET STVDIA SVA

DEVOTA MENTE COMMENDAT

ILLVSTRISSIMI NOMINIS

CVLTOR OBSEQVIOSISSIMVS

IOANNES FRIDERICVS ALBERTVS SPIEL.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-1192015415-150066120-19

# CONSPECTVS DISSERTATIONIS

## CAPVT I.

### *De confirmatione vel inſinuatione in genere.*

§. 1. Ratio dicendorum.

§. 2. Confirmationis et inſinuationis ratio.

§. 3. Vtriusque diuiſio in voluntariam et neceſſariam.

§. 4. Neceſſaria 1) ex qualitate negotii.

§. 5. 2) Ex qualitate bonorum immobilium.

§. 6. 3) Ex conditione perſonarum.

§. 7. Quatenus cognitio cauſae in ea requiratur.

§. 8. Continet actum voluntariae iurisdictionis.

§. 9. Quatenus deſideret competentiam iudicis.

## CAPVT II.

### *De confirmatione vel inſinuatione pactorum dotalium ex iure prouinciali Brunſuico - Luneburgico.*

§. 1. Sententia Iur. Rom. de inſinuatione eorum, quae in pactis dotalibus continentur.

§. 2. Ius prouinciale de inſinuatione pactor. dotalium ratione bonorum ciuicorum.

§. 3. Sufficit eorum inſinuatio ratione bonorum in dotem datorum, etſi illis non acceſſerit ſcriptura.

§. 4. De eorum inſinuatione ratione ruſticorum, qui in praefecturis exiſtunt.

§. 5. Vtrum pacta dotalia, inita inter deſponſatos, qui in diuerſis praefecturis exiſtunt, vtriusque iudicis confirmationem ſub poena nullitatis deſiderent.

§. 6. Primum argumentum ſententiae affirmatiuae.

§. 7. Eius reſolutio.

§. 8. Secundum argumentum.

§. 9. Eiusdem reſolutio

§. 10. Tertium argumentum.

§. 11. Eiusdem refutatio.

§. 12. Sententia in praedicta cauſſa lata.

DISSER-

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-1192015415-150066120-19

DISSERTATIO INAVGVRALIS
DE
# CONFIRMATIONE VEL INSINVATIONE PACTORVM DOTALIVM IVDICIALI.

## CAPVT I.
## DE CONFIRMATIONE VEL INSINVATIONE IN GENERE.

### §. I.
*Ratio dicendorum.*

Cum pro conſequendis ſummis in vtroque iure honoribus ſpecimen academicum more maiorum a me edendum ſit: ab inſtituti mei rationibus haud alienum eſſe putaui, ex cauſis forenſibus, quibus tractandis hactenus per aliquot annos operam impendi, depromere argumentum, in eodemque excutiendo, in quo tuendo hactenus in foro verſatus ſum, ingenii vires experiri. Pertinet illud ad patrii iuris rationes in pactis dotalibus confirmandis: nec

rectius

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-1192015415-150066120-19

rectius me in eodem tractando verſaturum eſſe eximaui, quam ſi praemiſſis his, quae in genere concernunt confirmationem iudicialem, expoſitisque iuris Romani in hoc argumento rationibus, ad ea, quae iure Patrio in eodem praecipiuntur, progrederer.

## §. II.

### *Confirmationis et inſinuationis iudicialis ratio.*

Quamquam diſpoſitiones priuatorum aliaque negotia inter eos geſta a libera facultate diſponendi non minus, quam a conſenſu pactitio vim et auctoritatem accipiant: interueniunt tamen rationes, ex quibus vel in publicum vtile eſt, vel ad commodum ipſorum agentium pertinet, eadem vel auctoritate iudiciali *confirmari*, vel ſaltem iudici apud acta *inſinuari.* Late patet *confirmationis iudicialis* notio *a*), qua deſignatur actus iudicialis, quo id, quod geritur inter priuatos, auctoritate publica ciuiliter pro valido declaratur. Quo ſenſu generali adhiberi dicitur, ſiue interueniat ad declarandam vim et validitatem negotii, quam vi ſua habet, ſiue ad tribuendam ei firmitatem, qua indiget, dum id, quod ei deeſt, poteſtate publica ſuppletur. Vtriusque finis ratio habetur in tutore vel

*a*) SCHVBARTH de *confirmat. pactor. c. I.* §. 5. V. C. *Io. Fried.* RVNDE de *confirmat. iuris primogen. in famil illuſtr. c. I. S. I.* §. 2.

vel ex iure Romano confirmando, quando non recte datus eſt teſtamento *a*), vel in eodem ex iure Germanico confirmando *b*), dum conſtitutio tutoris auctoritate magiſtratus pro valida et efficaci declaratur. Interpoſita itaque confirmatio, tamquam actus iudicialis, accedit negotiis priuatorum. Differt in eo ab *inſinuatione* iudici facta, qua priuati negotium iuridicum ad acta referri a iudice petunt, ad vim publicam ei conciliandam. Inſinuare iudici enim idem eſt, ac *ad acta publica referre*, vel *intimare* apud iudicem, ſeu *publicare actis interuenientibus* id, quod actum geſtumque eſt inter priuatos *c*); ſiue inſtrumentum, ſuper negotio confectum, iudici apud acta inſinuetur, ſiue voluntas contrahentium de eo, quod agendum eſt, lingua et voce exprimatur coram iudice ſub actorum teſtificatione.

§. III.

*Vtriusque diuiſio in voluntariam et neceſſariam.*

*Confirmatio iudicialis* ratione fundamenti in *voluntariam* et *neceſſariam* diuiditur: eaque diuiſio non minus

*a*) *L. I. §. 1. D. de confirmat. tutor. vel curator.*

*b*) *Rec. Imp. de 1548. tit. 31. §. 3.*

*c*) *L. 25. L. 27. L. 30. C. de donat. L. 19. C. de teſtam.* C. V. GRVPEN in *obſeruat. de forma teſtament. iud.* §. 3. *Franc. Car.* CONRADI de *teſtamento publico quod fit apud acta* §. 6. *ſq.*

minus pertinet ad *inſinuationem* iudici factam. Voluntaria libera eorum, quorum intereſt, voluntate adhibetur: namque abiit in cautelam, geſtorum vel confirmationem requiri apud iudicem, vel eadem ipſi apud acta inſinuari, vt de eorundem veritate et integritate eo euidentius conſtet: iudice enim Imp. Zenone, *ſuperfluum eſt priuatum teſtimonium, cum publica monumenta ſufficiant* a). Voluntaria aeſtimanda eſt ex fine, ex quo adhibetur, ideoque praeter fidem publicam, et quae ab ea pendent, commoda nihil tribuit negotio b): ponit enim negotium perfectum eſſe, idque vi ſua conſtare, cum pertineat ad veritatem negotii fide publica adſtruendam, confirmetque quae ex eo naſcuntur iura et obligationes.

## §. IV.

### *Neceſſaria,*
### 1) *ex qualitate negotii.*

*Neceſſaria* dicitur confirmatio vel inſinuatio iudicialis, quae eſt ex legis diſpoſitione adhibenda. Hac praeſcripta, negotio datur forma, et naturalis contrahendi libertas circumſcribitur: quod non niſi ex cauſſa fieri par eſt. Rationes, ex quibus vel iure

a) *L.* 31. *C. de donat. L.* 19. *C. de teſtam.*
b) *C.* 4. *X. de confirmat. vtili.*

iure communi vel iure particulari praeſcripta eſt, repeti ſolent a variis cauſae momentis. Idonea eſt ratio, quae deducitur ex *qualitate negotii*, quod vel in detrimentum rei publicae vergere, vel ipſis, quorum intereſt, noxium fieri poteſt, niſi prouide ſuſcipiatur. Itaque vel ad conſenſum iudicialem, vel ſaltem ad auctoritatem a iudice praeſtandam adſtringitur ad cauenda, quae vel ipſis agentibus vel tertio imminere poſſunt incommoda. Probata eſt haec cauſa Romanis, qui *actiones legis* aliaque determinata negotia apud magiſtratum explicari praecipiunt; in quibus ineundis vix dubitare licet, actus, ordine iuris haud ſeruato, ſuſceptos vi deſtitui *a*).

## §. V.

### 2) *Ex qualitate bonorum immobilium.*

Porro a qualitate *bonorum immobilium* repetitur ratio, ex qua, dum de eorum alienatione agitur, negotium apud iudicem ad acta referendum, vel iudicis confirmatio requirenda eſt, vt publice conſtet de mutatis poſſeſſoribus bonorum immobilium, in caſtatris aliisue libris publicis exacte deſignandis, nec non de his, quibus iura in re, quae viam alienandi parant,

 ſint

*a*) *L. 4. C. de adopt. L. 3. C. de emancipat.*

ſint conſtituta. Quae ratio, cum a ſolo commodo publico deſumta ſit, eidem et hoc conuenire videtur, vt dominium aliudue ſimile ius in re efficaciter transferri in alium non poſſit, niſi ſeruato praeſcripto modo; ceteroquin vero ſalua ſint iura et obligationes, quae inter contrahentes ex ipſo negotio deſcendunt, quibus alter alterum ad id, quod in conuentionem deductum eſt, et ad adhibendam formam iudicialem ex lege conuenire poſſit *a*). Quamquam enim, quae aduerſus leges fiunt, alioquin pro infectis haberi ſoleant: ex eo tamen non conſequitur, ipſum negotium, quod alienationem continet, pro inutili et inualido habendum eſſe, cum leges particulares, quae iſtam formam indefinite praeſcribunt, eorumque rationes ad *alienationis effectum*, ſeu ad translationem *iuris in re* pertineant. Et graue omnino futurum eſſet, naturalem de bonis immobilibus diſponendi facultatem ex ea forma ita circumſcribere, vt ea non ſeruata, contrahentes priuentur iuribus et obligationibus, quae ex ipſa conuentione inter eosdem oriuntur.

## §. VI.

### 3) *Ex conditione perſonarum.*

Tandem ex *qualitate perſonarum*, rerum forenſium expertium, quales cenſentur eſſe ruſtici, deſumi ſolet

*a*) LEYSER *ſpec.* 446. *med.* 5. *et* 6.

ſolet ratio, ex qua inſtrumenta, quamcunque alienationem, venditionem, permutationem, vel cauſſam diuiſionis bonorum concernentia, pactaque dotalia non aliter pro validis declarantur, quam impetrata confirmatione iudiciali vel inſinuatione iudici facta. Quae ratio iuris particularis poſita omnino eſt tum in commodo ipſorum contrahentium, ne temere et properato conſilio contrahant, tum in commodo publico, ne ipſi inidonei reddantur praeſtandis his, quae eosdem ex conditione perſonae praeſtare oportet. Vtrum tantummodo inſtrumentum, de his conuentionibus confectum, an etiam ipſa conuentio, ea de re inita, ob neglectam iudicialem ſolennitatem vi omni deſtituatur, id quidem a duriori vel mitiori ſanctione iuris particularis pendet. Quod vbi diſerte nominatimque definitum non eſt, ab aequitate commendatur iudicium Ictorum *a*), qui inſtrumentum quidem de his negotiis priuatim confectum, vi probandi deſtitui cenſent, ipſam conuentionem vero bona fide nec aduerſus ius tertii vel aduerſus publica

 com-

*a*) D. G. STRVBEN *Rechtl. Bedenken* T. I. Nro. 54. Idem in Tr. *de bonis meierdingicis* in *add.* §. 14. p. 688. LEYSER *ſpec.* 262. med. 5. 6. *Intermiſſa ſolennitas confirmationis iudicialis nullitatem operatur inſtrumenti, non ipſius contractus, ſi alio modo probari poteſt.*

commoda initam, ſi modo aliunde probari poſſit rei geſtae veritas, eatenus valere exiſtimant, vt is, cuius intereſt, prouocare poſſit ad ſolennitatem iudicialem impetrandam: quae conuentioni accedere debet. Quid enim, ſi nihil aduerſus commoda vel priuata vel publica actum geſtumque intelligatur, vel praeſtito ab altero implemento, negotium iam conſummatum ſit? Quid ſi mora aduerſarii, vel etiam negligentia contrahentium, quae non minus ruſticitati adſcribitur, omiſſa ſit iudicialis ſolennitas? An oportunitate impugnandi conuentionem alterum abuti, aequo animo ferendum eſt. Certe dum nihil ineſt conuentioni, ex quo ei negari poſſit ſolennitas iudicialis, nihil quoque impedit, quo minus conuentioni, priuatim bona fide initae, ſua vis relinquatur, ſaluo iure ſolennitatem iudicialem poſthac requirendi. Aequiores ſunt leges, quae naturalem contrahendi diſponendique facultatem non adeo circumſcribunt, nec difficultatibus obnoxia reddunt iura et obligationes inde oriunda, ſolennitatemque iudicialem magis voluntariam quam neceſſariam efficiunt *a*).

§. 7.

*a*) In *Corpore iuris Fridericiano lib.* I. *Part.* 3. *tit.* 7. §. 44. quae cauſſam confirmationis concernunt, ad haec principia reuocantur: *Soll zwar den Unterthanen des Staats nach wie vor frey und*

## §. VII.

*Quatenus cognitio cauſae in ea requiratur.*

Iam ex fine, quo adhibetur ſolennitas iudicialis, colligere licet, iudicem, dum fide publica declarat, negotium ita, vti geri dicitur, inter priuatos geſtum eſſe, ſollicitum eſſe debere in inueſtigandis his, quae ad veritatem negotii pertinent. Vocari ſolet cauſae cognitio, non eo ſenſu, quo deciſio praeuia cauſae tractatione in iudicio inſtrui ſolet, ſed hoc ſenſu, quo iudici innoteſcit negotii veritas. Referri poteſt ad duo momenta,

*und unbenommen ſeyn, über ihre Angelegenheiten und Geſchäfte unter ſich* priuatim *und ohne gerichtliche Mitwürckungen Contracte zu ſchlieſſen, Inſtrumente darüber aufzuſetzen, und dieſelben zu vollziehen. Wenn jedoch* a) *ein Contract ein unbeweglich Grundſtück betrift, oder* b) *wenn ſonſt die gemeinen Rechte oder gewiſſe* prouincial - *Geſetze die gerichtliche Vollziehung und Beſtätigung deſſelben nothwendig erfordern; oder* c) *wenn die Intereſſenten einen Contract, der an ſich der gerichtlichen* Confirmation *nicht bedarf, mehrer Sicherheit und Feſtigkeit wegen, gerichtlich beſtätigen laſſen wollen; oder endlich* d) *wenn ſie dem über einen ſolchen Contract zu errichtenden Inſtrument die Kraft und Würckung eines* Inſtrumenti publici *zu verſchaffen gemeinet ſind; ſo mus der Contract ſelbſt und das Inſtrument darüber allemahl vor Gerichten oder vor einem* Notario *errichtet und aufgenommen werden.*

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-1192015415-150066120-19

momenta, vel tantum ad *veritatem negotii*, vel ſimul ad *eius validitatem* explorandam. Quae ad prius tantum refertur, eſt *generalis* cauſae cognitio, poſita inprimis in exploranda eorum, inter quos geritur negotium, voluntatis ſententia: quae in regula ſufficiens eſt, quoad nullum ei obſtat iuris impedimentum *a*); de eaque vel ex ipſa declaratione voluntatis apud acta, vel ex inſtrumenti de negotio confecti ſubſcriptione praeuia praelectione apud acta facta conſtare poteſt. *Specialis* cauſae cognitio pertinet ſimul ad validitatem negotii, ac dirigenda eſt ad ea momenta, quae leges in negotio rite ineundo obſeruari praecipiunt. In negotiis, in quibus ſolius fidei publicae cauſa confirmatio vel inſinuatio iudicialis exigitur, iure communi ſufficit generalis cauſae cognitio: caeteroquin pro vario fine ſolennitatis iudicialis, eadem ſimul ad ea momenta dirigenda eſt, quae in eadem interponenda

iudici

*a*) Exemplum occurrit in *l.* 25. *C. de donat.* In qua lege recte monet Ill. PVFENDORFIVS *T. IV. Obſ.* 121. §. 4. ea quae de recipienda vel reiicienda donatione ibi cauentur, non eo pertinere, vt magiſtratus ſuo arbitratu conditiones donationis reiiciat, ſed vt cognoſcat exploretque voluntatem donatarii in iisdem vel recipiendis, vel ſi ipſi donatario moleſtae videantur, reiiciendis.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-1192015415-150066120-19

iudici perſcrutanda committuntur *a*). Neque poteſt iudicis, coram quo haec ſolennitas celebratur, obligatio vlterius produci, quam eius cauſa vel immediate ex lege, vel ex facto obligatorio repeti poteſt: etiamſi forte negotium confirmatum, aliunde vi deſtitui contigerit. Specialis cauſae cognitio maxime deſideratur, ſi confirmatio praeuio decreto danda eſt, ſeu ex qualitate negotii, quod rite non explicatur, niſi ſeruatis omnibus, quae leges in eodem ineundo ſeruari iubent. His non ſeruatis, ex confirmatione nulla vis accedit negotio.

## §. VIII.

*Continet actum voluntariae iurisdictionis.*

Ceterum confirmationem non minus quam inſinuationem iudicialem, prout fert eius natura, in actibus voluntariae iurisdictionis habendam eſſe exiſtimo, cum in cauſis haud litigioſis verſetur *b*). Neque ex eo, quod in illa interueniat cauſae cognitio vel generalis vel ſpecialis, indolem actus iurisdictionis contentioſae adoptat, cum exinde cauſa non efficiatur litigioſa, idque tantum agatur, vt de veritate, integritate et

*a*) *L.* 15. *et* 17. *D. de adopt. L.* 8. §. 8. *D. de Transactionibus.*

*b*) LAVTERBACH de *iurisdictione voluntaria* §. 27. PVFENDORF de *iurisdict. German. P. I. c.* 4. §. 56.

et validitate negotii, quod vel confirmandum vel ad acta iudicis referendum eſt, conſtet. Atque haec cognitio cauſae omnino diuerſa eſt ab ea, quae in actibus contentioſae iurisdictionis inter contendentes ſuſcipitur *a*). Quae tamen cum partem faciat exercendae iurisdictionis contentioſae: ratio inde petita eſt, ex qua interpretes confirmationem iudicialem, in qua danda cauſae cognitio ſpecialis exigitur, inter actus iurisdictionis voluntariae mixtae retulerint. Ceterum dubium vix intercedit, quin eiusmodi actus degeneret in actum iurisdictionis contentioſae, ſimulac contradictor interuenit, qui confirmationis cauſam ex eo, quod iuribus ipſius praeiudicium immineat, in litem reuocat.

## IX.

*Quatenus deſideret competentiam iudicis?*

Competentia magiſtratus in auctoritate in actionibus legis interponenda iure Romano aeſtimata eſt non ex perſona eorum, qui illas explicabant, ſed ex poteſtate, magiſtratui data ſpeciali lege, non habita ratione perſonae, vtrum magiſtratui ſubeſſet, nec ne. Ideo actus legitimus non poterat explicari apud magiſtra-

*a*) Indolem cognitionis, quae in eruenda veritate facti ſine figura iudicii inſtituitur, illuſtrat *C.* 43. §. 1. *de Electione in* 6.

giſtratum, apud quem legis actio non erat *a*). Plura negotia ſub imperio caeſarum ex commodo publico vel priuatorum ad acta magiſtratus reuocata ſunt: in iisque ſubinde lege definitum, coram quo iudice ſint celebranda. Obſeruare in genere licet, in actibus, in quibus ſpeciali cauſae cognitione opus eſt, rationem habitam eſſe iudicis competentis; in his vero, quae impetrandae ſolius fidei publicae cauſa ad acta referri leges permittunt vel praecipiunt, quoad nihil ea de re ſpeciatim cautum eſt, coram quolibet magiſtratu etiam incompetente peragi potuiſſe. Debitori hypothecam in bonis ſuis coram quolibet magiſtratu conſtituere permiſſum eſt, vt vim habeat hypothecae publicae *b*). Teſtamentum ad acta cuiuscunque iudicis inſinuare licet *c*). Conſtantinus M. donationes omnes apud acta inſinuari iuſſit; magiſtratus competentiam non deſiderauit *d*). Cum deinceps inſinuatio donationis ad eam, quae legitimam quantitatem excedit, adſtringeretur: hanc, ſi



*a*) *L.* 4. *D. de adopt. L.* 3. *D. de officio proconſ. L.* 1. *D. de offic. iurid. Alexandr. Ioſ.* AVERANIVS *interpret. iur. Lib.* 1. *c.* 12.

*b*) *L.* 11. *C. qui potior. in pignore.*

*c*) *L.* 19. *C. de Teſtam.*

*d*) *L.* 25. *et* 27. *C. de donat.*

ſi receſſeris a donatione, quam in regia vrbe Conſtantinopolitana apud magiſtrum cenſus inſinuari oportuit, vel apud praeſidem vel apud magiſtratus vel defenſores cuiusque ciuitatis inſinuare permiſſum eſt *a*). Vt enim iudex donationem ad acta recipiat, eique praeſtet auctoritatem, ea tantum opus eſt cognitione, quae veritatem peractae donationis eiusque integritatem concernit, ne donatio confingatur, neue temere et properato conſilio peragatur. Vti enim iudice imp. Leone *ipſa donatio ſita eſt in voluntate donantis, ita ei liceat donationem ſuam apud quemcunque ex memoratis iudicibus voluerit intimare* *d*). Ceterum in aeſtimanda competentia magiſtratus, coram quo vel confirmatio requirenda vel inſinuatio tantum facienda eſt, iura prouincialia Germaniae ſimul ſpectanda ſunt, quae pro vario fine, quo vel ratione bonorum immobilium, ſi de iure in re in iisdem conſtituendo agitur, vel ex perſonarum commodo illa ſolennitas adhibenda eſt, illos magiſtratus adire praecipiunt, apud quos ex hoc fine iſte actus perfici poteſt: quae ideo vel iudicem rei ſitae vel iudicem domicilii requirunt. Quorum ſi nihil interuenit, et negotium ſolius

*a*) *L.* 30. *et* 32. *C. de donat.*

*b*) *cit. l.* 30. *C. de donat.*

ſolius fidei publicae obtinendae cauſa ad acta iudicis refertur; id quidem coram vnoquoque magiſtratu apud acta perinde ac coram notario teſtibusque perfici poteſt.

## CAPVT II.

## DE CONFIRMATIONE VEL INSINVATIONE PACTORVM DOTALIVM EX IVRE PROVINCIALI BRVNSVICO LVNEBVRGICO.

### §. I.

*Sententia iuris Romani de inſinuatione eorum, quae in pactis dotalibus continentur.*

Pacta dotalia, ſi ex ſola eorum indole aeſtimantur, iure Romano non indigent iudiciali ſolennitate. Siue in ſcriptis ſiue ſiue ſcriptis inirentur, actionem producebant et exceptionem *a*). Si porro ratio habetur eorum, de quibus agitur in iisdem pactis; poterant in illis iura et obligationes coniugum intuitu connubii definiri maxime ratione bonorum, quae vel ſtante connubio vel poſt illud diſſolutum ex

 dote

a) *L. 1. C. de pact. conuent. ſuper dote L. 6. C. de dotis promiſſ.*

dote vel ex donatione obuenirent. Dotem quidem ſine monumentorum obſeruatione libere conſtitui poſſe placuit *a*): donationes vero ante nuptias ſiquidem egrederentur quantitatem donationis legitimam, ad iura donationum reuocatae ſunt, vt inſinuatione indigerent *b*). Foeminis minoribus tantum reſtitutione in integrum proſpectum eſt aduerſus donationes ante nuptias haud inſinuatas *c*). Eadem principia *Iuſtinianus* primum repetiit, et quas vocari iuſſit donationes propter nuptias, perinde ac ceteras donationes intervenientibus actis inſinuandas eſſe conſtituit, ſi eſſent ſumma legali maiores *d*). Sed ipſe Imperator neceſſitatem inſinuationis remiſit in Nouella 119, et donationes propter nuptias cuiuscunque eſſent quantitatis, ſine inſinuatione robur habere conſtituit. Tandem Iuſtinianus donationem propter nuptias ex ſolo commodo vxoris certa ratione ſub legem inſinuationis reuocauit in Nouella 127. c. 2. vt videlicet, ſi forte tabulas nuptiales perire contingeret, vxori ex actis publicis ſuppeteret donationis probatio, ceterum vxori ſalua ſemper eſſet exactio donationis non inſi-

*a*) *L.* 31. *C. de iure dot.*

*b*) *L.* 8. *C. Theodoſ. de ſponſalibus et donation. ante nupt.*

*c*) *L.* 17. *C. de donation. ante nupt.*

*d*) *L.* 20. §. 1. *C. eod.*

inſinuatae: ius vxoris enim in ea petenda nulla ratione in diſcrimen vocari paſſus eſt. Maritum vero, qui donationem propter nuptias, quingentos ſolidos excedentem, inſinuare non curauit, eo iure et lucro priuari voluit, quod pro rata donationis ex pacto de dote lucranda captat; neque eum iſtius lucri, ſummam legalem excedentis, aliter compotem eſſe ſtatuit, quam ſi inſinuari donationem curauerit.

## §. II.

### *Ius prouinciale de inſinuatione pactorum dotalium ratione bonorum ciuicorum.*

Tranſeo ad exponenda iura ſpecialia, quae ius patrium praecipit in inſinuatione pactorum dotalium, quae vel intuitu bonorum immobilium ciuicorum, vel inter ruſticos ineuntur. Sereniſſimus Elector et Dux Brunſuicenſis et Luneburgenſis Georgius Ludouicus per conſtitutionem de anno 1712 *a)* ſanciuit, vt in ciuitatibus per principatum Calenbergenſem, Grubenhagenſem et Goettingenſem bona immobilia non non aliter quam praeuia inſinuatione iudiciali in dotem darentur *b)*. Quae diſpoſitio per conſtitutionem de

*a)* vid. Corp. *Conſt. Calenb. T.* 2. *p.* 633.

*b)* Conſtitutionis de ao. 1712. verba ſunt ſequentia: *Daſs ohne Vorwiſſen und vorhergegangene Anmeldung an die ordentliche Stadt*

de annis 1733 1739 et 1753 renouata eſt *a*). Pertinet haec conſtitutio ad bona immobilia ciuica, eiusque ratio in eo poſita eſt, ne fines fundorum in diſtrictu ciuitatenſi ſitorum, et cataſtra publica confunderentur: neque ciuitatibus ipſis, eorumque aerariis damnum obueniret: neue quid in fraudem onerum publicorum ageretur. Eſt autem arbitrio ciuium relictum, vtrum inſtrumenta dotalia, quoad dationem bonorum immobilium ciuicorum in dotem continent, apud magiſtratum ciuicum ſaltem producere et intimare, an vero eorum confirmationem petere velint *a*). Sufficit ergo in hac pactorum dotalium inſi-

*Stadt Obrigkeit, in deren Iurisdiction das zu veräuſernde Stück belegen, keine unbewegliche Güther denen Töchtern* in dotem *mitgegeben werden ſollen.*

*a*) Corp. *Conſt. Calenb. T.* 2. *p.* 650. De iure, quod obtinet in ducatu Cellenſi et Luneb. hoc loco dicere non vacat. Generalior eſt ea de re ſanctio, quae exſtat in *Ordinatione Politica Cellenſi* Chriſtiani, Ducis Brunſuico Luneb. de a. 1618. cap. 23, et pactis dotalibus ſiue inter ciues ſiue inter ruſticos ſint inita, vim obligandi non tribuit, niſi agnita et approbata ſint a magiſtratu competente.

*b*) Conſtitutionis de ao. 1733. verba haec ſunt: *Wogegen denn Unſer ernſter Wille iſt, daſs dieſe Unſere* renovirte *Verordnung*

inſinuatione ad notitiam magiſtratus deduci, bona immobilia ciuica in dotem data eſſe, et de eorum facta productione publicum documentum peti. Quo neglecto, in eiusmodi bonis in dotem traditis nullum ius in re acquiri poteſt. Ceterum cum haec conſtitutio ad bona immobilia ciuica adſtricta ſit: eadem ad alia bona referenda non eſt: ideoque in dubium vocari nequit, pacta dotalia ciuium, quibus vel pecuniae quantitas vel res mobiles in dotem conſtituuntur, ex voluntate paciſcentium vim obtinere, neque productioni iudiciali ſubiecta eſſe.

## §. III.

*Sufficit inſinuatio bonorum in dotem datorum, etſi non acceſſerit ſcriptura.*

Sed nata eſt de ſententia huius conſtitutionis quaeſtio, vtrum bona immobilia ciuica vi promiſſionis, lingua nuncupatae, valide in dotem tradantur, ſi haec datio in dotem magiſtratui ciuico eſt intimata. Iure communi dotem quibuscunque verbis, ſiue ſcripta ſint ſiue

